

causis proportionales esse. At hic data occasione observabimus incertum omnino esse vel saltem superfluum illud principium. Etenim causæ vocabulo nullam notionem claram in physicis jungere possumus, nisi effectum ipsum a causa productum intelligamus. Effectibus autem cognitis illi possunt inter se comparari, atque æstimari, nec multum curandum est an effectus causis suis proportionales sint vel non. Et quidem in effectibus physicis fingi possunt duplicis generis causæ, aliæ scilicet quæ ex impulsione aliqua pendent, aliæ autem intrinsecæ, quæ sine ulla impulsione agunt. Si primi generis causæ requirantur, nihil aliud esse possunt nisi motus alicujus corporis aliud corpus impellentis. Si autem causæ aliæ intrinsecæ, & non materiales fingantur, non intelligitur qua ratione causæ illæ comparari inter se possint, ita ut una sit alterius dupla aut tripla; perinde ridiculum foret ac si sensatio una alterius dupla vel tripla diceretur. Verum causæ illæ in effectibus physicis, quæcumque sint, ex spatiis dato tempore percursis facie cognoscuntur, quod quidem physicis satis est. Ex ambigua virium & causarum notione ortæ sunt lites plurimæ, quæ rebus mechanicis tenebras densissimas offundunt: sed de his in Physica.

VII. Ea omnia, quæ de variis entium generibus, ipsorumque attributis exposita sunt, absolute dicta fuere; entia enim illorumque indolem ac naturam solitarie & seorsim ab aliis consideravimus. At nullum propemodum ens ab intellectu nostro per-